

III.

NEOVIDENSIS

Nro 32. (Neovidensis Nro 55.)

*Ex locis laetis, et amoenis viretis fortunato-  
rum nemorum submissum mortalibus  
COLLOQUIUM POLITICUM.*

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 20 Julii 1804. (Neov. 6 Julii.)

De mortuis nil, nisi bene;  
De vivis — quodcunque.

DIALOGUS

*Inter Carolum Camden, et Henricum Flood.*

*Floodius.*

**I**llustris vir! In his rerum adjunctis quas se-  
quere partes, Pittiasne, vel Foxianas?

*Camdenius.* Amantissime Flodi! idem ex-  
te sciscitor.

*Flood.* Ut verum fatear, adhærebo par-  
tibus Pittii. Ex omnibus enim Anglis ille vi-  
detur esse unicus, qui sorti Hibernorum ve-  
lit allevamentum adferre. Verum —

*Camden.* Quid, ergo judicas hanc esse  
seriam ejus voluntatem? Ego existimo eum  
per id tantum favores populi hibernici fuisse  
aucupatum, debebat enim prævidere, liber-

tatem Catholicorum in Hibernia degentium non posse obtineri. Nam potestas legislativa Magnæ Britanniae religioso odio præteritorum bellorum superstructa est.

*Flood.* Illustrissime! Hæc res nullam amplius meretur considerationem. Jam mundus multum remisit a suis antiquis opinionionibus.

*Comden.* Dilectissime Flodi! Tu non perspicis ita rerum harum consecraria, atque ego. Hunc in finem pone tibi ob oculos Germaniam. Huic regno reformatio varias politicas, & civiles tribuit leges, in quibus summa rei vertitur, & ex quibus diversæ relationes prognatæ sunt adeo, ut, si hæc subruantur, necesse sit totum corruere. Prisca religionis bella, & reformationes procul dubio & Imperantes, & subditos in acerbas conjecerunt altercationes, unde similtates, inimicitiae, & persecutiones inter partes adversantes exortæ sunt. Omnia Regna, & Provinciæ, prout ubi hic spiritus prævaluit, ita suam privatam, publicamque vivendi rationem legibus constituere. Contemplare hodiernam Galliam, quæ nullam religiosam, politicam tamen subiit revolutionem. Omnes latæ leges, & ipse recentissime sancitus ordo innititur revolutioni, quam perinde licet politicam Reformationem appellare. Quemadmodum novæ Cæsareæ familiæ in Gallia plurimum interest novam constitutionem conservare, ita etiam Regiæ stirpis in Anglia. Ibi illam revolutio, apud nos nostram refor-

matio ad thronum collocavit. In hac inimicitia, & odio educatus populus mordicus tuetur hæreditate acceptas opiniones, quæ utique præjudicia possent dici, nisi imperia, & ferme quælibet regni constitutio illis esset implexa. Crede mihi, Pittius hoc negotium serio non tractavit.

*Flood.* Sed hac ratione maxima pars Hiberniæ accessisset ad partes regias; Propositio Pittiana in his circumstantiis, dum hostis nobis invasionem minatur, & Hiberni rei feliciter gerendæ suis opinionibus grave possunt addere pondus, fuisset gratissima, utilissimaque. Vir illustris! non perpendis in simili occasione multitudinem multum posse. Hoc recentioribus temporibus tristis experientia abunde docuit.

*Camden.* Has observationes non nego esse magni momenti, sed alii respectus —

*Flood.* Illustrissime vir! Inter nos dictum sit, non potes in animum inducere tuum, quantum gaudium pervaserit totam Hiberniam, dum Pittius iterum Minister fuit renunciatus. Illico nonnulli familiares Londinum ablegati sunt, qui eidem partim de nova honoris accessione gratularentur, partim suam causam, iterum, iterumque commendarent. Habet Hibernia plura Parlamenti membra sibi faventia; certe, quamprimum fuerit decisis modus a Pittio propositus defendendi regnum, negotium Catholicorum Hibernorum rursus deliberationi substernetur.

*Camden.* Hoc ego non puto futurum vi-  
vente Rege; mutato autem gubernio, idest,  
si Princeps Valliæ in imperio successerit,  
munere Ministri non fungetur Pittius.

*Flood.* Hiberni a futuro etiam Imperan-  
te sperant secundissimum rerum suarum even-  
tum. Durat adhuc bellum.

*Camden.* Utique in præsentî belli statu  
multo plura possunt obtineri. Terribile est  
hoc bellum, pro quo Anglia non invenit fœ-  
deratos.

*Flood.* Et sumtuosum bellum, cujus fi-  
nis nequit prævideri.

*Camden.* Apud nos bellicarum impensa-  
rum singularis est conditio: ad eas ferendas  
concurrunt omnes nationes, omnia regna,  
ipsi etiam hostes. Quamdiu enim cæteræ  
Provinciæ utuntur mercibus coloniarum, eas-  
que modo non nisi ab Anglis possunt habere,  
tamdiu manent tributariæ Magnæ Britanniæ.  
A qualibet portione theæ, vel coffeæ, quæ  
in Europa bibitur, jam ultroneum nobis de-  
pensum est vectigal, omnis mulier, quæ se  
more novo comit, ærario nostro jam intulit  
suam symbolam. Quodvis tributum, quod  
in Anglia imponitur, cadit non tantum in  
populum Angliæ, sed in universam continen-  
tem extenditur; nostri redditus conflantur ex  
proventibus totius orbis. Nos elicimus pec-  
cunias a Magno Tartariæ Chano, ab Impe-  
ratore Turcarum, horumque mancipiis, &  
ab omnibus Europæ inhabitatoribus. Ope-  
rarius, qui se potu coffeæ reficit, majus e-

jus pretium imputat suo labori, & sic gradatim crescit rerum pretium apud omnem hominum classem. Hæc est illa vis magica, qua nos cæteris diutius possumus bellum continuare, sumtus enim ad illud necessarios alii præstant. Claudat nobis hostis suos portus, uti libuerit, perspicacia mercatorum tandem non quiescit, donec alibi viam aperiat. In hac positione spectanda sunt nostra bella, & ad calculum reducenda.

*Flood.* Hoc revera significat libere dominari omnium marsupiis. Nulla hic intercedit vis, nulla coactio; singuli, dum mansurgunt, sponte sua, & cum voluptate reserant crumenas, ut coffeam sumant, & residuum pecuniæ in Angliam expediant.

*Camden.* Hoc nec inimicos, nec amicos nostros latet.

*Flood.* His tamen hostes nostri non perturbantur; quin potius omnia apparant, ut nos adprianantur. Recte lego fide dignum folium Parisinum de 1. ma Julii: perpenderit, quam firmo stet pede Cæsareum in Gallia imperium, illud enim ipsum vulgat solennem protestationem Comitum de Lille (*Prætendentis Ludovici XVIII*) contra omnia, quæ inde a revolutione in Galliis gesta sunt. Hæc intercessio emanavit Varsoviæ die 6 Junii, & in hunc modum sonat:

„Bonaparte assumendo titulum Imperatoris, & hæreditariam pro sua familia in imperio successionem manifeste suam usurpationem confirmat. Hic novus actus revo-

„lutionis , in qua a principio omnia nulla e-  
 „rant, & invalida, sine dubio nequit mea  
 „jura imminuere. Quia autem mihi incum-  
 „bit meum agendi modum coram Regnanti-  
 „bus, quorum jura non minus, ac mea vio-  
 „lata sunt, & per periculosa a Senatu Pari-  
 „sino adoptata principia throni concussi; &  
 „coram Gallia defendere, meamque famili-  
 „am, & proprium honorem tueri, ne, si hæc  
 „silentio præterirem, viderer causam com-  
 „munem neglexisse, eapropter declaro (post-  
 „quam, ubi opus erat, adversus omnia ille-  
 „gitima facta, quæ recenter instituti Genera-  
 „les Gallix ordines cum perturbatione Euro-  
 „pæ procuderunt, meam contradictionem in-  
 „terposui) declaro, inquam, in conspectu  
 „omnium Imperantium, me titulum Impera-  
 „toris, quem sibi Bonaparte a senatu illegi-  
 „timo tribui curavit, non recognoscere, o-  
 „mnibusque hinc nefors enascituris sequelis  
 „refragari & reclamare.“

---

*B i o g r a p h i æ.*

Flood (Henricus) celeberrimus primum  
 Hiberniæ, tandem etiam Angliæ Senator na-  
 tus est anno 1732. Suis animi dotibus, am-  
 plitudine scientiæ, & eloquentiæ flumine non  
 tantum profuit suæ Patriæ, sed toti etiam  
 generi humano. Pluribus annis fuit præcipu-  
 um publicæ curiæ membrum, ubi constanter  
 omnes suas curas eo convertit, ut politi-

eam constitutionem emendaret, internos ejus fontes augetet, & commune Hiberniæ bonum promoveret. Qua Orator imitandum sibi proposuit Demosthenem, in eloquendo conabatur ejus vim exprimere non multum sollicitus de copia, atque elegantia Ciceronis. Qua Historicus opera sua delectu materiarum, & veritate distinxit, majoremque in his posuit gloriam, quam in laboriosa collocatione verborum, vel rotunda sententiarum constructione. Si quis aliquando sine partium studio scripserit historiam Hiberniæ, ille profecto omni veneratione dignum nomen Henrici Flood, qui primus Hibernos commovit, ut suam legibus partam libertatem tuerentur, summo honore dignabitur. Floodius diem obiit 2. Decembris, A. 1791.

Pratt (Carolus Camden) Egregius Jurisconsultus in Anglia, & Politicus, vivere cepit A. 1713. Finita docta educatione ad studium juridicum applicuit animum eo cum successu, ut fortunatissimus Advocatorum evaserit. Post universalem A. 1759 institutam electionem creatus est Deputatus, & eodem adhuc anno Bathoniæ Registrator, & Generalis Fiscalis; A. 1762 obtinuit juris lauream, atque præsidium in Curia judiciali, ubi ea cum auctoritate, integritateque versabatur, qua majorem nemo antecessorum habuit; dumque *John Wilkes* ad illegitimum mandatum fuisset comprehensus, & in carcerem conjectus, imperterrite, uti magistratualem personam, & Anglum decebat, adju-

dicavit ei privilegium: *Habeas corpus*, atque ad tribunal adductum oratione habita liberavit ex custodia 6. Maji A. 1763. Hic prudens, & impavidus agendi modus nationi Anglicæ adeo complacuit, ut eum Civitas Londinensis in numerum suorum civium retulerit, eique hac de re diploma in aurea capsula dono miserit, & expeditam ejus effigiem publice proposuerit spectandam. Hoc eodem honore eum dignum judicarunt urbes: Dublinum, Bathonia, Exonia, & Nordovicum. A. 1765. 16. Julii. Procerum cœtui aggregatus est cum titulo: Lord Camden, Baro Camden, qua in dignitate ita se gessit, ut omnium amorem, & existimationem sibi conciliaverit. A. 1770 venit in quæstionem æstimatio proventuum Americanorum, huic ille se opposuit vehementissime, fuitque statione sua amotus. A. 1782. 27. Martii Præsidentem egit Consilii, quo munere A. 1783. se abdicavit, verum paulo post idem iterum recepit, retinuitque usque ad ultimum diem vitæ, quem terminavit 18. Aprilis A. 1794.

---

In eadem hac Officina Belnayana sequentes quoque libri prostant:

Historia Regni Hungariæ e probatissimis Scriptoribus synoptice deducta. Posenii 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. script. 2 fl. 15 xr.

Andromache, Bajazet und Iphigenie in Aulis. Drey Trauerspiele vom Racine; metrisch übersetzt von Ayrenhoff. 1804. 48 kr.

---